



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XII. Quis Situs Orantis optimus? Dominicus X. Post Pentecosten.  
Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent. Luc. 18. v. 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA XII.

Quis Situs Orantis optimus?

## DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

*Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent.*

LUC. 18. v. 10.

§. 1.  
Diversitas  
hodierno-  
rum Ora-  
torum.

**H**odierni duo Oratores quamvis in situ orandi similes sibi fuisse videantur, eò quòd de utroque dicatur, stantem orasse: *Phariseus stans hæc apud se orabat v. 11. & publicanus à longè stans v. 13.* nihilominus diversissima fuit utriusque compositio; Phariseus enim cervice erectâ & oculis apertis, publicanus dejectâ & oculis humo affixis; ille manibus vel in altum jactatis, vel lateri suppositis, iste decussatis aut tundendo pectori cum impetu admotis; ille prope aram, iste proximus portæ consistebat, ideòque diversum omnino in orando gestum situmque observabant. Quo ex spectaculo problema mihi suboritur: quis in orando situs sit convenientissimus, sedentis an stantis? ambulantis, an flectentis, humine jacentis? nullius situm reprehendam, sed in cujusvis laudem intendam, dummodo ab attentis intelligat.

§. 2.  
Sedendo  
orari pos-  
se probant  
exempla  
Sanctorum.

Quòd sedendo orari possit, probat exemplum Davidis, approbat situs Christi orationem Dominicam in Monte præorantis: *sic ergò vos orabitur: Pater noster Matth.*

6. v. 9. comprobatur totius ecclesiæ tolerata consuetudo, quâ & Pontifices ad aram, & Monachi Canonicique in Choro Davidicos Psalmos sedendo decantant. Davidem sedisse cum satis prolixam ad DEum funderet orationem ex illis liquet Scripturæ verbis 2. Reg. 7. v. 18. *sedit coram Domino & dixit.* Quin & Rex Ninivitarum poenitens alio situs usus non est, teste Jonâ c. 3. v. 6. *sedit in cinere.* Job. acceptissimas DEO preces obtulit non flectens, non jacens, sed sedens in sterquilinio Job. 2. v. 8. Dilecta quoque Sponsa subumbra illius quem desideraverat, non flexit, non jacuit, sed sedit. Cant. 2. v. 3. quin & dilectus ipse discipulos suos orare docens & orationem Dominicam præorans sedendo id fecit in monte. ait enim Evangelista Matth. 5. v. 1. *videns autem JESUS turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eam discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos.* inter præcipua verò doctrinæ continuæ serie traditæ capita fuit: *Sic ergò vos orabitur: Pater noster qui es in cælis* Ibid. c. 6. v. 9. quin & ultimam orationem, quam in cœnaculo ad Patrem habuit, & Joannes toto cap. 17. fideliter signa-

signavit, non flectens aut stans, sed sedens habuit, nec corpus à sede, sed oculos solum in cœlum dicitur levâsse: *hæc locutus est JESUS & sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora.* Verùm perfectissimum hunc orandi modum non esse indeliquet, quòd nec subditi coram Rege ( nisi grandes Hispaniæ, aut pares Franciæ sint) nec mendicabula coram Mecœnate ( nisi pedibus destituantur) stipem rogare soleant sedendo. Nemo Sinarum Regem, nisi de genu audet alloqui, nemo ad Imperatoris audientiam, nisi factâ ter prius profundâ genuflexione admittitur, & DEUM pejoris Conditionis esse putabimus? ut coram eo sedere & preces offerre non licitum modò sed perfectissimum putemus? federit David, sed prolixitas orationis & corporis debilitas eum excusavit; federit Sardanapalus, sed consuetudo gentium hoc illi indulsit, servabat enim illud Pythagoræ: *adoraturus sede.* federit Job, in valetudo flectere non permittit; federit Sponsa, langvor amoris id effecit; federit Christus, sed docens in templo; federit in monte & coenaculo, sed circumstantiæ loci & temporis aliud non permisissent; at verò Christianos vegetos & robustos, adde & peccatorum gravissimorum sibi conscios in templo coram exposito Venerabili sedere & oscitando preces offerre, prorsus intolerabile est. Viginti quatuor seniores Apoc. 4. visâ Majestate Agni surgunt de throno, coronas capitibus demunt, procidunt, adorant, & tu juvenule, tu Vermicule, debbam dicere, tu haud morate trunco sedebis, & tempore tremendi Sacrificii sedebis? federe in cœlo voluit Lucifer & cecidit, & tu post tremendum Luciferi casum adhuc sedere præsumes? Authorem habeo, qui docet non tene-

Bautius  
pag. 98. 2.  
pud Henr.  
Engel-  
grav. p. 2.  
lucis E.  
vang. Do-

ri illum ad Missæ Sacrificium Dominicis festisque diebus audendum, qui eidem aliter interesse non potest, quàm sedendo.

Non est ergò perfectissimus orantis modus sessio. fortè statio erit? *Stationes* enim Romæ dicuntur loca Sacra, ad quæ Christiani orationis gratiâ convenientes jam inde à primis Christianismi temporibus ingenti Spiritualium gratiarum ex Ecclesiæ gazophylacio donantur copiâ; & hic non flectitur sed statur, unde & *stationis* nomen desumptum est. Stat hodiernus cum Pharisæo publicanus, stat non flectit ad aram Sacerdos, & pro circumstantibus, non circumflectentibus deprecatur, nullibi enim in sacro missæ Canone invenies flectentes, sed circumstantes DEO commendari. Stantem orasse Christum, cum solenne illud *Confiteor* protulit Matth. II. v. 25. *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ,* & cum Lazarum resuscitaturus infremuit Joann. II. & sæpius alias sufficienter ex Evangelicis colligitur oraculis. Stare jubentur Christiani ad Evangelium in Sacrificio, ad *Benedictus* in laudibus, ad *Magnificat* in vesperis, *Nunc Dimittis* in Completorio; stantes orare paschali tempore jubentur in Nicæno I. Num. 20. ob resurrectionis divinæ memoriam, & nostræ quam speramus resurrectionis expectationem. Stando oravit Judith ad lectum Holofernus *velut fiduciam habens in DEO* c. 13. Stantes Deo assistere ministrare & orare Angelos ex Apoc. 7. Daniel. 7. accepimus. Erit proinde optimus orandi situs statio. Verùm neque hunc hominibus peccatoribus in lacrymarum valle degentibus convenientissimum esse situm villissima nostra conditio & status præsentis ratio convincit. Stant Angeli, at nunquid tu par Angelis es? stetit per occasionem Christus,

minic. 9.  
post Pent.  
¶ 2.

§. 3.  
Orare  
stans melius est,  
non tamen  
optimum.

stus, ut hunc orandi situm approbaret, non verò perfectissimum esse pronuntiaret, aliter enim eundem orasse videmus, cum in horto Olivarum misericordiam paternam exorare fategit. Stat ad aram Sacerdos, at nunquid semper stat? quoties eum genua profundissime flectere rubricæ admonent! quoties sacratoribus temporibus monentem audimus: *Oremus, flectamus genua!* jubetur fateor nonnunquam stare populus, qui flexis genibus preces fundere, & divinis supponitur interesse, tum ob varietatis quæ gratissima est, delectationem tum ob singularis significationem mysterii, unde tamen nequaquam inferre licet, semper aut potissimo tempore standum. sed neque *Stationum* tituli antiquæ pietati quidquam præjudicant, ex quibus perseverantiam potius in oratione, & mentis ad DEUM erectionem illâ phrasi significamus, quàm situm decentissimum adstruimus. stare enim & de genibus dicimur, stare tanquam servi ad perficiendam DEi voluntatem accincti, ad perferendam pro DEO omnem calamitatem parati jubemur.

Audire hic mihi aliquem video, qui ex meis memet verbis arguat & convincat: si optimus orandi situs est, qui conditioni nostræ convenientissimus, ergò ambulando in hac vita perfectissime orabitur, quamdiu enim vivimus, viatores sumus. ambulando Abraham Sanctissimam Trinitatem in trium Angelorum persona adoravit, seque pulverem professus est, etsi nec genua flecteret, nec prono corpore pulverem terræ lamberet; ambulando concepit David Psalmos illos, quorum titulus extat: *cum fugeret à facie Absalon.* nec dubitandum de humillima Domini Ancilla ambulando per montana, magni-

ficum illud canticum concinnasse: *Magnificat anima mea Dominum.* At transeat ferventius quandoque ambulando quàm jacendo orari posse, certissimâ tamen constat experientiâ orationem quæ ambulando fit, plerumq; fieri per transennam.

Perfectior orandi situs est genuflexio, quàm suo à nobis jure Deus exigit Jf. 45. *mibi curvabitur omne genu,* eaque lege post Filii DEI incarnationem ac mortem magis nos adstringi Paulus declarat: *in nomine JESU omne genua flectatur* Philip. 2. v. 10. non speret se exaudiendum à Patre, qui non orat in nomine Filii, nec nomen Filii sufficienti cum reverentia pronuntiat, qui genua non incurvat; clamat ad nos Pater, ut in nomine Filii genua flectamus, quem si nos clamorem non exaudimus, non obediunt, non flectimus, frustra exaudiendos nos à Patre, eumque nostris flectendum precibus speramus. Utrumque genu flexit Salomon 3. Reg. 8. *utrumque enim genu in terram fixerat,* utrumque genu Daniel. c. 6. flexisse legitur, utrumque Stephanus ut observat Sanctus Augustinus Serm. 237. de temp. *positis genibus orabat,* utrumque Petrus Tabitam resuscitans Act. 9. utrumque Paulus Milesiis valedicens Act. 21. & Eph. 3. *flecto genua mea ad DEUM Patrem Domini nostri JESU Christi.* flectit Camelus ut onera suscipiat, & homo non flectet, ut gratias æternas consequatur? Elephanto similes sunt, qui genua incurvare nesciunt, certè si humilitatis miculam, si fervoris scintillulam, si agnitionis divinæ stillulam haberemus, non genua tantum, sed corpus totum submitteremus.

Corpore toto prostratus oravit frequenter David: *adhæsit pavimento anima mea* Pf. 118, & exemplo Regis aula urbs, regio tota: *adhæsit*

§. 5.  
Flectendo orare sanctum est.

§. 6.  
Prone corpore orare perfectum est.

§. 4.  
Nec ambulando orare decentissimum est.

*in terra venter noster* Pf. 43. quin & exemplo Davidis pœnitens Theodosius Imperator teste Baronio ante altare prostratus, lacrymis perfusus, singultibus tantum non strangulatus veniam exoravit. Situs iste divinatorum est Oratorum, ut adeo neminem cum veteris, tum potissimum novi testamenti Sanctorum inveniam, de quo legere non sit, quod prono corpore adorarit, nimirum sciunt theodidacti DEUM non minus ad parcendum pronum, quam Leo fit, qui solet *parcere subjectis*, sciunt cœlestes aquas decurrere in valles & loca depressa, ibidemque colligi. sciunt & catellos, si loco & hero suo carere nolint, humi se prosternere & vel ab invitis gratiam eblandiri. Præstantissimum orandi situm (quis neget?) exemplo suo Homo-DEUS docuit, cum in horto Olivarum Patrem adoravit, & quis ille orantis fuit habitus? *procidit in faciem suam super terram* Matt. 26. v. 39. qui sedet super Cherubim & ambulat super pennas ventorum, procidit super terram; qui cœlum & terram creavit in principio, & tribus digitis appendit molem terræ, procidit super terram! sub quo curvantur qui portant orbem, & cui omne genu flexitur cœlestium terrestrium & inferorum, procidit super terram! Observat hunc orationis situm Cæsarius Arelatensis & exclamat: Orat Misericordia, & non orat miseria? prostratus in terra orat Medicus, & non inclinatur ægrotus? orat Innocentia & non orat nequitia? orat qui peccatum non fecit, & non se posternit multis peccatis obnoxius? orat Judex & desiderat parcere, & non orat reus ut indulgentiam mereatur accipere? orat Judicaturus, & orare dissimulat judicandus? ah quantum possumus reverentiâ modestiâque oremus, nè oratio fiat in pecca-

Cæsar. homil. 29.

tum, ut hodierno facta est Phariseo, nève mereamur aliquando projici, non dico super terram, sed infra terram, ad imum centrum terræ, ubi jacent æternumque jacebunt in suppliciis, qui supplices DEO preces offerre in tempore opportuno noluerunt. DOMINI est terra, in terram cadamus, tunc præsertim cum soli sumus, ut Paternis illius oculis placeamus, qui videt in abscondito. Misericordiâ Domini plena est terra, in terram cadamus si Misericordiam volumus invenire; terram amplectamur brachiis, basilemus labiis, si assequi cupimus regnum, non terrenum ut ille Junius Brutus de quo Livius l. 1. in fine, sed regnū cœleste, ad quod viam monstravit qui vestigia sua terræ impressit piissimus Servator, ut cognoscamus in terra viam ejus & sequamur vestigia ejus. Cæsarium denuo perorantem audiamus: Vellem scire, qui nec genua flexunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi necessarium aut à judice, aut ab aliqua potenti persona expeterent, utrum stantes & tecto capite, negligenter & tepide supplicarent? rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope ad terram nos humiliter inclinamus; & à DEO remissionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita inclinare, nec genua submittere dignamur. hætenus ille Homil. 30.

Verum neque hunc ego humijacentis situm semper & ubivis adhibendum censo, neque aspernor ceteros, sed doctrinæ ter maximi in Spiritu Magistri & Patriarchæ Ignatii in hærens, illum unicuique situm convenientissimum esse pronuntio, qui felicius ad devotionem & finis intenti consecutionem conducit. Verba Sancti Doctoris sunt in aureo Exercitiorum libello Annotatione quartâ ad Exercitia melius agenda:

*ipsam*

§. 7.  
Resolvitur  
Problema.

*ipsam aggrediar contemplationem nunc prostratus humi & pronus, aut supinus jacens, nunc sedens aut stans, & eo me componens modo quo sperem facilius id consequi quod opto. Ubi adverti hæc duo debent: primum, quod si flexis genibus vel in alio quovis situ, voti compos fiam, nil requiram ultra. secundum quod in puncto, in quo affectus fuero quasitam devotionem, conquiescere debeo sine transcurrendi necessitate, donec mihi satisfecerero.*

Perquam ingeniosè observavit Sylveira, nullam ab Evangelistis mentionem fieri adorationis alicujus, quam Centurio pro servulo suo apud Dominum deprecaturus exhibuisset, sicut Archisynagogi aliorumque presissimis verbis meminere, quod adoraverint & prociderint. Rationem dat, quia Centurio magnus erat in fide, teste Veritate: *non inveni tantam fidem in Israël*, debilis Archisynagogus. Fides magna interioribus charitatis, humilitatis, obedientiæ actibus contenta, de exterioribus adorationibus non multum curat neque agit. At ubi fides est valde tenuis ac remissa, hæc exteriora sibi quærit, ut illis interiorum defectum suppleat. Ita ille To. 3. l. 5. c. II. q. 9. Num. 41.

Sit itaque fides magna, cui si experientia accedat majori te devotione affici cum sedens quam stans

vel ambulans precaris, fede cum Davide, sed coram Domino in cujus te oculis versari memineris; si deambulando orationem melius succedere animadvertis, ambula sed cum Emauntinis discipulis, ut JESUM merearis Socium, è cujus præsentia cor tuum inardescat in via; si stando placet orare, sta per me licet, sed tanquam reus coram Judice, discipulus coram Magistro, coram Patre filius, Angelus coram Domino. Si pronum humi litare preces Divinus svadet Spiritus, humilia coram DEO, cum DEI Filio, animam tuam, memor illius in finem, quod in fine hodierni Evangelii Divina asseverat Veritas: *qui se humi prostratus humilia verit, exaltabitur.*

In Emblemate diversos orantium situs propono. Sit itaque inter lucidas nubes Thronus divinæ gloriæ Tetragrammate insignis, coram quo stant Angeli, jacent abjectis Coronis viceni quaterni Seniores; David pronò corpore adorat, Salomon posito utroque genu orat, Ezechias in lectulo lectissimas fundit preces, Job in fimeto, Latro in patibulo exorat, Publicanus stans gratiam impetrat; inscribamus uniuscujusque fitui: *suus cuique pulcher.* ille situs cuique pulcherrimus, quem svadet Amor, suggerit Fides, permittit necessitas.

§. 8.  
Emblema.

